



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0498

Sabato 21.08.2010

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL XV CENTENARIO DEL SANTUARIO SANTA MARIA DELLE GRAZIE "MADONNA DELLA MENTORELLA" (29 AGOSTO 2010)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL XV CENTENARIO DEL SANTUARIO SANTA MARIA DELLE GRAZIE "MADONNA DELLA MENTORELLA" (29 AGOSTO 2010)

Il 26 giugno scorso è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Cardinale Giovanni Battista Re, *allora* Prefetto della Congregazione per i Vescovi, ad Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione del XV centenario del Santuario di Santa Maria delle Grazie "Madonna della Mentorella" (Diocesi di Tivoli), in programma il 29 agosto 2010.

Il Porporato sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti Ecclesiastici:

- Rev. Mons. Benedetto Serafini, Vicario Generale della Diocesi di Tivoli;
- Rev. P. Norbert Raszeja, C.R., Superiore Generale della Congregazione della Risurrezione a Roma (atteso che il Santuario è retto da secoli dai Padri della medesima Congregazione).

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Giovanni Battista Re, Prefetto emerito della Congregazione per i Vescovi:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
IOANNI BAPTISTAE S.R.E. Cardinali RE
Praefecto emerito Congregationis pro Episcopis

Ineunte Pontificatu, placuit Nobis Sanctuarium Sanctae Mariae Gratiarum in loco vulgo Mentorella, dioecesis Tiburtinae, invisere, Virgini Sanctissimae de eius intercessione apud Filium suum gratias agere atque continuum praesidium efflagitare.

Idcirco laeto animo accepimus Sanctuarium istud - vulgo "Madonna della Mentorella" - pastoralis curae sodalium Provinciae Polonicae Congregationis a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi concreditum, mille et

quingentos annos a fundatione sua celebraturum esse. Agitur de fausto iubilaeo huius sacrae aedis quae, pulcherrima in regione aedificata, in Italiae terra eminet tum pastoralibus eventibus, tum peregrinantium numero, inter quos libentes Praedecessorem Nostrum Venerabilem Servum Dei Ioannem Paulum II, rec. rem., memorare licet.

Hac prospera data occasione, die XXIO proximi mensis Augusti, die videlicet quo singulis annis multi adveniunt peregrini, in Sanctuario sollemnis Eucharistiae agetur celebratio. Quam ob rem Venerabilis Frater Maurus Parmeggiani, Episcopus Tiburtinus, humanissime a Nobis rogavit ut quendam insignem Purpuratum Patrem designaremus qui huic eventui Nostro nomine praeesset atque verba spiritalis cohortationis pronuntiaret. Congruae huic postulationi adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus, qui Congregationis pro Episcopis munus Praefecti diligenter hucusque exercuisti, aptusque et dignus omnino Nobis videris ut eiusmodi missionem fructuose expleas. Te igitur hisce Litteris **Missum Extraordinarium Nostrum** nominamus ad celebrationes millesimi et quingentesimi anniversarii diei a condito Sanctuario Sanctae Mariae Gratiarum, quae memorato die proximi mensis Augusti in loco vulgo Mentorella sollemniter explebuntur.

De divino Filio Virginis Mariae loquens, omnes illic adstantes adhortaberis ut precibus, meditatione nec non spiritalium necessitatum consideratione renovatis viribus novoque studio peculiarem dilectionem erga Christum et Ecclesiam demonstrent atque fide, spe et caritate cotidiana in vita ferveant.

Sacrorum Antistitem Tiburtinum ceterosque sacros Praesules ibi congregatos, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam. Verba singularis aestimationis Nostrae dilectis dicas sodalibus Provinciae Polonicae Congregationis a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi, qui in hoc Sanctuario studiosam navant pastorem operam.

Nosmet Ipsi Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur Tibique Benedictionem Apostolicam libentes impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationum participibus rite transmittas volumus.

Ex Arce Gandulfi, die XXVII mensis Iulii, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XVI

[01124-07.01] [Testo originale: Latino]
